

Hippocrates quicquid scripsit rimatur in arte  
Phœbæa , quicquid doctus Aristoteles,  
Tandem Pieria redimitus tempora lauro ,  
Inde Magisterij suscipit ille gradum.  
Donec ei plures decernit Elister honores,  
Et Stagyritæ docta palestra Sophi.  
STEINBACHIO sed Musa fauet: Pallas quoque docta,  
Quæ peperit titulos & sine morte decus.  
Hunc ornat titulis claris Heluetica tellus,  
Vrbs Basilea probat : clara Lycea probant.  
Poscit opem medicam IAVRAVIA patria tellus ,  
Doctori tribuens limina grata nouo.  
Addictus praxi nunc pharmaca dulcia miscet ,  
Succurrens ægris nocte dieque suis.  
Dum loquor hæc, lux grata venit , lux clara resulget ,  
Qua confirmantur fœdera casta thori.  
HELIZABE nunc templa petit pulcherrima Nympha:  
Inter formosas conspicienda Nurus.  
Illiis ingenui mores vultusque decori  
Omnibus arrident , & tibi Sponse placent.  
Hanc ornat pietas reliquis formosior vna ,  
Et sine labe pudor , nec sine laude decor.  
Purpurei decor oris inest , & candida forma ,  
Lilia quæ superat , vincit & ipsa rosas.  
Aurea de collo pendent redimicula Sponsæ ,  
Lumina clara micant : Gratia quanta genis ?  
Hinc pudor & probitas & honestæ nomina famæ  
Exornant Sponsam Doctor amande tuam.  
Quid referam matris , referam quid stemma parentis ?  
Quid genus & formam dulcis Elissa tuam ?  
Ergo tibi tales cum decernuntur honores ,  
Et petit amplexus virgo venusta tuos.

Sis fe-